



EXCELENTISSIMO ILLUSTRISSIMOQUE VIRO
D. D. FRANCISCO ALEXANDRO BOCANEGRA,
ET XIVAJA, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPO
COMPOSTELLANO REGIQVE A CONSILIIIS Cet. Cet. Get.
SALVATOR LADRON DE GUEVARA

P. O. P.

ILLUXIT TANDEM MIHI, PRÆSUL EXCELLENTISSIME, OPTATUS, ET AUSPICATISSIMUS ILLE DIES, IN QUO VALEAM QUALECUM-que hoc obsequii, & gratitudinis in *TE* meæ testimonium publicum exhibere. Tertio namque emenso, absolutoque Civilis Juris curriculo, Primam illius Lauream adipisci conor, tum illectus suavissimis Præceptorum meorum monitis, tum titillatus (quid ni fatear?) honore, qui præclaras alit artes, exinde mihi, si res pro votis accidat, abundè exoritur. Quod equidem ut pulchrum, ita est operosæ plenum opus alex in hac præsertim Florentissima Academia, ac vigente, ut par est, in ea, in meque fortassis primùm ad praxim adducenda Norma, a Supremo, Regioque Senatu ad id honoris Sapientissimè iuxta ac providè constituta. Equis enim non expavescat, post absolutam de more prælectionem, obiectaque in paratam thesım argumenta plena eruditionis, plena roboris, continuò in tot integerrimorum Censuram judicium palam adigi, atque examen super Titulis Digestorum, & Codicis verè difficillimis, diutinè protrahendum? Atqui ad tan severam trutinam exigendus est honos iste, quem sub auspiciis *TUIS* sanè clarissimis, ambire, mihi datum est. Ut vero prudentis simis Academiae huius statutis morem gererem, honori huic Publicam Consertationem præire constiui, cui materiem præbet subiecta thesis, ceu speciem exantlati a me laboris, complectens quatuor Institutionum Libros integros Arn. Vinnii Juris Consultorum optimi, Sapientissimique. *TUUM* ergo Nomen Splendidissimum in huius concertationis fronte extare volui, Præsul Eruditissime, ut ei sub tanti Nominis umbra splendor, gratia, dignitas comparetur. Cuius namque tutelam avidius in litteras, exquiram, exoptemque quam *TUAM*, Antistes Illustrissime? qui eximias, vereque Pontificias dotes multò illustriores, orationes que reddis, cum non optimos tantum mores excolis, sed Sapientiam omnem, atque doctrinam in amplissima Archi-Diœcesi *TUA* patrocinio foves, ac beneficentia complecteris? prudentissimè ratus, Communi Ecclesie bono maximè prodesse coniunctam, doctrinamque redolentibus, ac presertim in Instructione illa verè Pastoralı, qua infensissimos Religionis Hostes protrivisti, consulens doctrina pervigili, & exquisita commisso *TIBI* gregi, admonensque ex Sententia Cælestis Paulli: *Ne conformetur huic Sæculo*, quod tot Erronum monstra, ac Religionis propudia fovet, sed sapiat ad *Sobrietatem*. Alliciunt insuper ad id officium effusa in me meosque Pietatis, ac Munificentie *TUÆ* Beneficia, quæ tanta illa sunt, tam præclara, tantoque cumulo crescunt in dies, ut iam à me, meisque grates haberi *TIBI* semper debeant, referri vero nunquam possint. Ni igitur oblatam hanc testandæ adversum *TE* meæ gratitudinis occasionem arriperem, jure mortalium omnium audirem ingratus, ipsumque Solem exosum haberem. Patere igitur, Humanissime Princeps, positionem hanc ad Pedes *TUOS* convolare, atque ore isto *TUO* gratiarum plenissimo, quo omnes omnium ordinum, atque ætatum homines dulcissime devincis, adrideas quæso mihi *TIBI* iam pridem devinctissimo, laboresque meos in litterarum stadio decurrendo beare, ac fovere, pergito.

VALE O ET PRESIDUM, ET DULCE DECUS MEUM!

CL. ARNOLDI VINNII OPUS INSTITUTIONUM IMPERIALIUM ABSOLUTISSIMUM ASSERTIT, VINDICATQUE, NECNON EX TITULIS Digestorum, et Codicis quotquot excerpta satis sint ad Bachalaureatum in Jure Civili, trino tantum curriculo adipiscendum secundum Normam à Regio Supremoque Castellæ Senatu nuper, sapienterque præscriptam, publico subjicit examini, Qui supra in Academia Orcelesi ejusdem Juris Auditor, et Sac. Thæo. Dr.

CUI PRÆSES ADERIT DR. D. ANTONIUS JANUARIUS VALERO, IN EADEM ACADEMIA VESPERTINAE LEGUM CATHEDRAE REGENS. Palestra Generale hujus Regiæ, ac Pontificiæ Universitatis Orcelesis. Die 6 Mensis Junii Anno M. DCC. LXXXI. Hora 9 $\frac{1}{2}$ Matutina.

Vt. D. D. Marianus de Perea Univ. Rr.

Vt. D. D. Josefus Emmanuel Balaguer Cen.Reg.

ORIOLAE: Ex Praelo JOSEFI VINCENTII ALAGARDA, ET PETRI XIMENEZ ET LOPEZ.

R. 20.762



Miercoles 6 de Junio, a las 9 y media.

В О В
СВЯТЫХ РАБОХ ДЕ САНКТ
СВЯТЫХ РАБОХ ДЕ САНКТ
СВЯТЫХ РАБОХ ДЕ САНКТ
СВЯТЫХ РАБОХ ДЕ САНКТ
СВЯТЫХ РАБОХ ДЕ САНКТ